



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica II. post Pascha

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

nis cū cæteris euangelistis cōferat, multa de miraculis saluatoris in eis scripta reperiet, q̄ in Iohannis euangelio non habentur, q̄m Iohannes, qui ultimus suū euangeliū scripsit, quod ab alijs scriptū nouit, multis in locis pr̄termisit. Sed nec in q̄tuor euangeliorū libris oīa miracula dñi scripta habentur, sicut Iohannes in calce sui textus testatur, dicens: Sum autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt, libros. Tantū autem sancti euangelistæ de miraculis conscripserunt, quantum ad fidem credentium corroborandā sufficere posse cognouerūt. Vnde & subditur:

Ioh. ult.

Hæc autē scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius dei. ¶ Quia ergo hæc scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius dei, erubescat Photinus, qui tantū hominem, & non deum credere uoluit. Nos autē euangelicā lectione instructi, credamus quia Iesus Christus est filius dei, in una eademq; personā perfectus deus, perfectus & homo, deus ante tēpora, homo ex tēpore: deus ex patre, homo ex matre. Quid autē ex hac credulitate cōsequamur, manifestatur cū subiungitur:

Et ut credentes, uitam habeatis in nomine ipsius. ¶ In nomine ergo eius uita datur, quia semetipsum credētibus donat, q̄ est uita, ueritas & uita, sicut ipse alibi ait: Hæc est autē uita æterna, ut cognoscant te solum uerum deum, & quem misisti Iesum Christum.

Ioh. 14.

Ioh. 17.

### ¶ DOMINICA SECUNDA

post Pascha, Misericordia do-

mini. I. Petri II.

Charissimi, Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Et reliqua.

**F**ratres charissimi, in lectione apostolica quæ audiitis, beatus Petrus Christi nos imitari exempla admonet, dicens. [Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius,] Id est quod ipse dominus ait in euangelio. Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, id est, uoluntas proprietas relinquat, & de se omnimodis subiciat uoluntati, & tollat crucem suam, id est, carnales mortificet delectationes, & sequatur me: mundi desiderijs repugnet, quantum ualeat diuina gratia largiente. His enim modis, & talibus his similibus moribus sanctis, Christi debemus uestigia sequi.

Mat. 16.  
Luc. 9.

Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. [ut de ipso propheta ait. Solus enim sine peccato, qui peccata mundi tollere uenit. Et alibi: Non contendit, neq; clamauit, neq; audiuit quis in plateis uocem eius. Sequitur:

Isa. 41.  
Mat. 12.

Qui cū malediceretur, non maledicebat.

¶ Subdolum & mendacium, nec detractio inuenta est in ore eius. Nos ergo si uolumus Christi imitari exempla, hæc ea dem mala omni studio uitare debemus omnem dolum & odium, omnēq; malitiam & simulationes, & inuidias atq; detractio-nes deponere, & in bonis operibus certamen magnum habere, Christo domino famulari.

Cum pateretur, non cōminabatur.

¶ Iniuriæ uindictam non promisit, sed etiam pro

**Matt. 5.** suis crucifixoribus exorauit, ut nos alibi docuit, dicens: Orate pro persequentibus & calūniantibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cælis est.

**Tradebat autem iudicanti se iniuste.**

¶ Per diuinitatem tradidit humanitatem, quam assumpsit ad passionem, iudicanti se populo Iudæico ut crucifigeretur. Si enim ipse qui sine peccato erat, propter peccata nostra, ut nos redimeret a morte, se tradidit, quid retribuere condignum eius misericordiae possumus, nisi tantum ut nos pura confessione & pœnitentiæ lachrymis, elemosynarum largitate operibusque misericordiae & pietatis, ad eius nos semper uoluntatem præparemus fideliter, ut dignis & sanctis moribus æterna cum eo gaudia possidere ualeamus?

**Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo sup lignum.** ¶ Ad hoc enim in ligno crucis pati uoluit, ut ligni purgationem, quã Adam fecerat, deleteret, & iter nobis ad regnum cælorum, quod per peccatum Adæ mundo clausum fuerat, aperiret. [ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati sumus] ¶ Ut sicut antea per peccatū deo mortui eramus, ita & nunc per passionem & resurrectionem eius ad immortalitatem æternam perduceret, & deo nos patri suo reconciliaret, nobisque potestatem tribueret mundo mori posse & peccatis omnibus per confessionem, & per iustitiam uiuere deo.

**Eratis enim sicut oues errantes.**

¶ Error ouium, culpa pastorum esse intelligitur, qui negligunt corpore delinquentes. sed conuersi estis nunc ad pastorem & episco-

rum animarum uestrarum. **I**tem Conuersi a diabolo ad Christum, de tenebris ad lucem, de morte ad uitam, de infidelitate ad fidem, de infirmitate ad salutem: in qua si permanseritis usque in finem, bonis certando operibus, salui eritis in eternum. Non enim qui cepit bonum, sed qui perseverauerit in bono, hic saluus erit. Tunc enim placet deo nostra conuersio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Bonum ergo non cepisse, sed perfecisse, uirtus est. Nam inchoantibus premium promittitur, sed perseverantibus datur, per eum qui promisit, qui est uerus promissor & largitor Iesus Christus dominus noster. Qui uiuit & regnat cum patre & spiritu sancto deus per omnia secula seculorum, Amen.

## DOMINICA SECUNDA POST

Pascha, Misericordia domini.

Iohannis X.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis:  
Ego sum pastor bonus. Et reliqua.



**S**uperius textus euangelij narrat, quod dominus inter bonos malosque pastores discretionem se. erit, dicens de malis: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit alio modo, ille fur est & latro. De bonis autem: Qui intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt. Alienum autem

Ioh. 10.

G

non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alicorum. Cum autem cerneret eos dñs hoc prouerbiū non intelligere, apertius de q̄ pastore loqueretur exposuit, dicens: [Ego sum pastor bonus. ¶ Sed in exordio huius lectiōis inquirendū est, q̄re se dominus pastore nominari uoluerit. Nunquid ideo pastor dicitur, eo quod more terreni pastoris oves ad pascua ducat & reducat? Non. Sed p̄ similitudinē talia nomina ei applicantur, ut per uisibilia inuisibilia intelligamus. Sicut enim ouis dicitur propter innocentiam, agnus propter mansuetudinem, uitulus propter suae carnis immolationem, leo propter fortitudinem, petra propter firmitatē sic dicitur pastor, non solum quod fideles suos spiritualiter pascat & reficiat, sed etiam quod eos a moribus luporum sua protectione defendat. Iste est enim uerus pastor, qui nobis rationabilem sensum tribuit, & spūalem intellectum ministrat. Ipse uerus est pastor, qui sacramento sui corporis ac sanguinis nos in praesenti reficit, & in futuro ad satietatem suae contemplationis perducit, qui ait in euangelio: Ego sum panis uiuus q̄ de caelo descendit. Et iterum: Per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur & pascua inueniet. Et rursus: Qui mēducat carnē meam, & reliq̄. Et, Caro mea uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus. Sub cuius pastoris regimine abundantiā pascua se inuenisse gaudebat propheta, cum diceret: Dñs pascit me, & nihil mihi deerit. & iterū: Satiabor dum manifestabitur gloria tua. Iste uero pastor fidelibus quibus promittebatur, cū dñs p̄ propheta dicebat: Ecce ego suscitabo uobis pastorem unum, seruum meum Dauid, qui pascit oves in

Ioh. 6.

Ioh. 10.

Ioh. 6.

Psal. 22.

Psal. 16.

Ieze. 34.

indicio & iustitia. Huius pastoris typo uel figura,  
 Iacob patriarcha oues pauisse legitur. Sicut enī ad  
 pastoris officium pertinet, nō solum fortiores oues  
 ad pasua deducere, sed etiam infirmis medicinā  
 impendere: sic etiam iste pastor non solum perfe-  
 ctiores quosq; in ecclesia gerit, sed etiam infirmis  
 animabus per misericordiam condescendit, & per  
 penitentiam curam salutis impendit. Quod signi-  
 ficant eiusdem Iacob uerba, dicentis: *Gen 33.*  
 Nosti dñe mihi habeo oues fœtas teneras mecum quas si in am-  
 bulando plus laborare fecero, morientur cuncti  
 greges una die. Vnde p̄ Iezechielem p̄phetam dici-  
 tur: Ecce ego ipse requiram oues meas, & uisitabo  
 eas. Sicut uisitat pastor gregem suum in die qñ fue-  
 rit in medio ouium suarum dissipatarum, sic uisita-  
 bo oues meas, & congregabo eas de cunctis locis,  
*Ieze. 34.*  
 in quib; dispersę fuerant. Quod perierat regram,  
 qđ abiectum fuerat reducam, & qđ fractum al-  
 ligabo, & qđ infirmum cōsolidabo, & qđ pingue  
 & forte custodiam. Ipse est etiam q̄ sanat cōrritos  
 corde, & alligat cōtritiones eorū. Et iterum: Dñs  
*Psa. 145.*  
 soluit compeditos, dñs illuminat cecos. ¶ Quan-  
 tum autē huius pastoris benignitas infirmantibus  
*Luc. 15.*  
 ouibus compatiatur, illa parabola euangelię indi-  
 cat, in q̄ legitur, qđ pastor bonus relictis nonagin-  
 ta nouem ouibus in montibus, abiit q̄rere unam, q̄  
 in uallibus errauerat: quā inuentam imposuit pro  
 prijs humeris, & sic reportauit ad gregem. Ad pre-  
 dicti autē pastoris mensam si uolumus accedere, ne-  
*Pro. 23.*  
 cesse est bonis operibus nos p̄paremus. Salomo-  
 ne testante: Ad mensam potentis accessisti: dili-  
 genter attende quæ apponuntur tibi, sciens quia si-  
 milia te p̄parare oportet. Quia ergo dominus pet-

- gēs ad passionem, mysteriū corporis & sanguinis  
sui nobis tradidit, tunc ei similia præparamus, si p  
eius amore tribulationes & angustias sustinemus:
- Actu. 4.** quia (sicut ait Apostolus) per multas tribulationes  
oportet nos intrare in regnum dei. Et Psalmista:
- Psal. 115.** Quid retribuā dño p̄ omnibus que retribuit mihi;  
¶ Quæritur aut̄ quare dñs se pastorem uocauit,  
cum paulo superius ostium se esse dixerit, dicens:  
Ego sum ostium. Ad quod dicendum, q̄ aliud est  
ostium, & aliud ostiarius, at̄ q̄ aliud pastor. Ipse est  
em̄ ostiarius, qui nos ad fidē introducit, sicut ipse  
ait in euangelio: Nemo uenit ad patrem nisi per  
me. Neq; em̄ cognouit patrem; q̄s, nisi filius & cui  
filius uoluerit reuelare. Ipse est ostium, quia per eū  
ad fidem intramus, sicut ipse ait: Per me si q̄s intro  
ierit, saluabitur. Et bene quidē postquā dixit, [ego  
sum pastor,] adiūxit [bonus,] ad discretionem  
illorum qui indigne nomen pastoris usurpant, eo  
quod uel boni, uel digni nō sint, de quibus domi-  
nus superius ait: Omnes quotquot ante me uene-  
runt, fures fuerunt & latrones. Fuerunt em̄ boni  
pastores, qualis fuit Petrus, cui a dño dictū est: Si  
diligis me, pasce oues meas. Et iterum, Tu es pa-  
stor cuiū. Talis erat Paulus, q̄ optabat se esse ana-  
thema pro fratribus suis, dicens: Ego cupiebā ana-  
thema esse p̄ fratribus meis, qui sunt cognati mei,  
q̄ sunt Israelitæ. Sed aliud est bonū essentiāliter, sic  
ut dño: & aliud nuncupatiue, sicut discipulis: ali-  
ud per naturam, & aliud per gratiā. Illi uero ut bo-  
ni essent, a dño acceperūt: ipse aut̄ a nemine, nisi a  
seipso, ut bonus esset, accepit: & ideo bonitati eius  
si cōparentur, minus boni inueniuntur. Quātum  
uero bonus pastor oues sibi commissas diligere de

beat, manifestatur cum subditur:

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. **J**fecit quod monuit, & qd docuit uerbis, ostendit exemplis. Prius animam suam pro ouibus suis posuit, ostendens bonis pastoribus etiam, si necessitas euenerit, pro ouibus sibi commissis mortem non debere timere. Vnde cum Petro oues suas regedas tertio commendasset, qd p eiusdem ouibus passurus esset intimauit, dicens: Amē amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te & ambulabas ubi uolebas: cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet q tu non uis. Hoc aut dicebat, ait euangelista, significans qua morte clarificaturus esset deū. Deniq; & Paulus apostolus pro ouibus sibi commissis, mori paratus erat, cum diceret: Ego ipse impendam & superimpendar pro animabus uestris. Et iterum: Ego autē nō solum alligari, sed etiam mori paratus sum in Ierusalem propter nomen dñi Iesu. Non em facio animam meā preciosiorem, quam me. Et rursus: Melius est mihi mori, q̄ ut gloriam meam quis euacuet. sed post q̄ dñs boni pastoris opus ostendit, etiam uitia mali pastoris declarare curauit, dicens:

**Mercenarius autē, & qui nō est pastor.**

**M**ercenarius dicitur mercede cōductus. Quo nomine recte mali pastores figurantur, qui non ob amorem dei, nec propter dilectionem gregis, sed propter lucra terrena curam animarū suscipiunt, querētes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, sicut **A**postolus dicit: Quæstū existimāt pietatē. Quos p prophetā redarguit dñs, dicens: Ipsi regnauerunt, & non per me: principes extiterunt, & non

**Ioh. 21.**

**2. Co. 12.**

**Actu. 21.**

**1. Co. 9.**

**1. Tim. 6.**

**Osez. 8.**

cognoui. Tria quidē sunt, quæ mercenarij ab ouibus exquirunt, lac lanam & carnes quia mali pastores, qui magis præesse quam pdesse desiderant, hæc tria a sibi iubeētis exigunt, lac adulationis, lanam obsequij, carnes delectatiōis carnalis. Quos dñs p Iezchiele prophetam redarguit,

Ieze. 34

dicens: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & qd crassum erat occidebati, gregē autē meum non pascebatis. Quod infirmū fuit, nō cōsolidastis: & quod egrotum, non sanastis: quod contractum, non alligastis, & qd abiectum, non reduxistis: quod perierat, non quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cū potētia. Quos em̄ ab extraneis defendere debuerant, hos etiam more prædonū frequenter opprimunt, de quibus dñs ait in euangelio: Attendite a falsis pphetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autē sunt lupi rapaces a fructibus eorū cognoscetis eos. Tales fures in ecclesia

Mat. 7.

Apostolus præuidebat, qñ discipulis dicebat: Scio quia post meū discessum in trabunt in uos lupi graues, lupi rapaces, non parcentes gregi: et ex uobis ipsi consurgēt uiri loqrētes mendaciū, ut abducāt discipulos post se. Recte autē de talibus subditur:

Actu. 20

Cuius non sunt oues propriæ.

Non em̄ ut proprias oues recognoscant, sed ut alienas nesciunt. Non facile autem tempore pacis cognoscitur, quis sit pastor, quis uel mercenarius: sed lupus ueniens indicat, quo quisq; animo super gregem suum inuigilet. Vade & sequitur.

Videt lupum uenientem, & dimittit oues,

& fugit, & lupus rapit & dispergit oves.

¶ Lupi nomine in hoc loco potentes quilibet de signantur & iniusti: qui dū pauperum substantias diripiunt, more luporū quasi carnes ouium dilacerant. Sed mercenarius uidet lupum uenientem, & dimittit oves, & fugit: quia carnalis pastor terrena patrimoniamittere timēs, sub silentio se abscondit. Fugit autem, non mutādo locū, sed subtrahēdo solatiū: quia cū subiectos a potentib⁹ uidet opprimi, non contradicit, ut liberet pauperem & egenū de manu ipsorum, sed magis adulando decipit. De quibus p̄ prophetam dicitur: Omnes principes tui Isai. 22. fugerunt, & ceteri ligati sunt. Et iterū: Quasi uulpes Ieze. 13. in deserto, p̄phetarū tui Israel erant. Quorum uituperabilem timorem dñs alibi p̄ prophetam redarguit, dicens: Nō ascend. sis ex aduerso, neq; opposuisti murum, p̄ domo Israel, ut staretis in p̄lio Ieze. 13. in die dñi. ¶ Est & alius lupus inuisibilis, qui quōtidie non corpora, sed animas peccantium lacerat, ille scilicet de quo ait Petrus apostolus: Aduerſarius uester diabolus tanq̄ leo rāgens circuit, quærens quē deuoret. Dum em̄ alium ad superbiam, alium ad adulterium, alium ad rapinā, alium ad fornicationē, alium ad homicidium p̄trahit, more luporū q̄ si carnes ouium laniat. Sed mercenarius uidet lupū uenientem, & dimittit oves & fugit, cum is q̄ non p̄ diuino amore gregem dei pascit, contra hęc uirtutia nullo zelo accenditur, nullo dolore mouetur, nulla p̄dicationis arma opponit. Fugit em̄, cum se sub silentio abscondit. Fugit etiā, cum subiectos p̄ diuersa uitia uidet coinquinari & tacet, quia non corrigit, non considerat illud q̄d Apostolus Timotheo p̄p̄. 5. theo p̄cepit, dicens: Testor coram deo & Chri-

sto Iesu, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, prædica uerbum, in sta opportune, importune, argue, obie cra, increpa. Tales em̄ non solū de proprijs, sed etiam de subiectorum peccatis reddituri sunt rationem, sicut dñs per Iezechielē terribiliter cōmīnatur, dicens: Speculatorem deī te domui Israel.

Iere. 3.

Si non annunciaueris iniquo iniquitatē suam, sanguinem eius de manu tua requiram. ¶ Considerā dū est etiam, qualiter mercenarius urlo ueniēt e fugiat. Per ursum nanq; qui uersutum & callidū est animal, ut quidam dicunt, hæretici designantur, q; per prauam doctrinam mites in ecclesia decipere non cessant. Sed mercenarius, & q; non est pastor, uidet ursum ueniētem & fugit, quando subiectos ab hæreticis uel prauis doctoribus, in ra sanctam ecclesiam & simplices decipi uidet, & non per autoritatem diuinarum scripturarum contradicit. De talibus dominus p prophetā ait: Canes muti non ualentes latrare, uidētes uana, dormiētes & amantes somnia, & canes impudicissimi nescierunt saturitatem. Ipse em̄ pastores ignorauerūt scientiam. De quibus adhuc subditur:

Isa. 56.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eū de omnibus. ¶ Si causam quæris, quare mercenarius fugiat, nullam inuenies uiciniorē, nisi quia mercenarius est. Qui enim non amore diuino, sed dilectiōe cupiditatis & potestatis gregem dominicū pascit, mox ut timor hæc amittendi accesserit, ille recedit, & si non corpore, tñ mente: q; iuxta Psalmistæ uocē, Illic trepidat timore, ubi nō erat timor. De talibus per Ieremiā prophetā dicitur: Mercenarij quoq; tui, qui uersabantur in medio tui, quasi uertuli saginati

Psal. 13.

Iere. 46.

erant, fugerunt simul, nec stare potuerunt. Diligunt enim principaliter, quod perdere potuerunt laudabiliter, id est, res terrenas: & non timent amittere, quod sine graui periculo non possunt relinquere, id est, animas subiectorum. De quibus sub specie struthionis per beatum Iob dicitur: Quando dereliquit in terra oua sua, obliuiscitur quod pes hominis conculet ea, & bestia agri conterant. Sunt autem nonnulli rectores, qui quis bene doceat, tamen quia male uiuunt, magis inter mercenarios, quam inter pastores computantur: quoniam quos bene docendo, Iob. 36. hos male uiuendi exemplo destruunt. De quibus per prophetam dicitur. Cum ipsi lympidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus uestris turbabatis. Et oues meae, quae pedibus uestris conculcata fuerant, pascebantur: & quae pedes uestri turbauerant, haec bibebant. Sed mercenaria uitijs patefactis, dominus ad boni pastoris officium sermonem conuertit, dicens:

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meae. Quod est aperte dicere [cognosco meas,] id est, diligo eas. [Et cognoscunt me meae,] id est, diligentes me, uoci meae obaudiunt. De quibus alibi dominus ait: Oues meae uocem meam audiunt, & ego dominus cognosco eas, & sequuntur me, & uitam aeternam do eis, & in aeternum non peribunt, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Hunc ergo bonum pastorem alii pastores imitari debent, ut quis sub suo regimine cognoscatur. puro & sincero animo diligant. Vnde primus pastor ecclesiae reliquos pastores admonet, dicens: Seniores, qui in uobis sunt, obsecro consenior & testis Christi passionum, qui & eius quae in futuro reue-

1. Pe. 5.

landa est gloriæ communicator, pascite qui in uobis est gregē dei, prouidentes non coacte, sed spontanee, secundū deum: neq; turpis lucri gratia, sed uoluntarie: neq; ut dominātes in cleris, sed forma facti gregis, & ex animo: ut cum apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. Sicut enī mercenarij nō solum de suis uitijs, sed etiā de subiectorum suorum criminibus durius damnaudi sunt: sic boni pastores cum tātis & prostantis remunerationē accipient, quātos suo exemplo nel prædicatione lucrifecerint, tunc scilicet quādo illā desiderabilem uocem audire mere-

**Mat. 25.** huneur. Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te cōstituaui, intra in gaudiū domini tui. Vnde bene nato domino angelus pastoribus apparuit, eo: q; claritas dei circumfulsit, ut intelligamus quia illos gratia dei in presenti perfectius illuminat, & sublimior merces in futuro remunerat, qui gregē dominicum diuino amore bene docēdo pascere non recusant, quā si

**Luc. 2.** ut ait Daniel: Qui docti sunt, fulgebunt quasi stelle in firmamento: & qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stelle in perpetuas æternitates.

Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem. ¶ Nouit pater filium, non temporaliter, sed æternaliter, coæternum & cōsubstantialem sibi gignēdo filium. i. uerbum & sapientiam. Nihilominus filius patre, quia genitus est a patre, sicut ipse ait in euāgelio: Nemo nouit filiū nisi pater, nec pater nouit q; nisi filiū, & cui filius uoluerit reuelare.

Et animā meam pono pro ouibus meis.  
Ac si diceret: Si inde me manifesto scire patrem.

& cognitum esse a patre, quia animam meam pono pro ouibus meis, tanto unusquisque pastor uerius deū cognoscere ostenditur, quanto gregem sibi commissum iolicitius custodit, non solum admonendo & exhortando, sed etiam (si necessitas exigit) pro necessitate illorum utilitatem suam postponendo. Nemo enim maiorem hac dilectionem habet quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde & Iohannes dicit: Si Christus animam suam pro nobis posuit, & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere. Sed nunquid summus pastor solummodo pro salute Iudæorum animam suam posuit? Non. Decebat enim ut cum dei filius moreretur, non tantummodo pro una gente, sed pro omni populo. Vnde Caiphas tempore passionis eius, prophetauit, dicens: Expedi uobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem (ait euangelista) a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro Iudæorum gente, sed ut filios dei qui erant dispersi, congregaret in unum. De quibus ait:

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Ex eo tempore quo dominus Abraham a cæteris gentibus segregauit, & eius progeniem sibi in peculiarem plebem elegit, duo populi & duæ gentes nominari cœperunt, Iudæorum scilicet & gentium. Sed postquam ex ipsius Abrahæ stirpe natus est, ex utroque populo unam ecclesiam copulauit, ut impleretur quod ei dominus promiserat, dicens: In semine tuo benedicentur omnes familie terre. Vñ cum inter Iudæos corporaliter ambularet, de nostra uocatione dicebat. Et alias oues habeo,

Ioh. 15.

1. Ioh. 3.

Ioh. 11.

Gen. 22.

quæ non sunt ex hoc ouili, id est, ex hac gente & ex hoc populo.

Et illas oportet me adducere.

id est, per prædicationem meorum apostolorum ad fidem meam uocare.

Et uocem meam audient.

id est, præceptis meis obdient.

Et fiet unum ouile.

id est, ex utroq; populo una collecta ecclesia in presenti, siue in die iudicii, quæ ueruri sunt iudgi ad fidem.

Et unus pastor.

1. Pe. 2.

¶ Ipse scilicet dñs Iesus Christus, de quo p apostolū Petrū credētibus dicitur: Eratis em̄ aliquādo sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum uestrarum.

**DOMINICA TERTIA**

post Pascha, Iubilare. I. Petri II.

Charissimi, Obsecro uos tanquam aduenas & pegrinos, abstinere uos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Et reliqua.

**P**lchre satis admonet & exhortatur nos apostol⁹ Petrus, fratres charissimi, ut audiuit in præsentilectione dilectio uestra: [ Obsecro (inquit) uos tãquam aduenas & peregrinos. ] Aduenæ nos sumus & peregrini, quam diu sumus in hac terra, ut Paulus apostolus ait: Non enim habemus hic manentem ciuitatem, noster aut̄ municipatus est in cælis. Aduenæ em̄ uel peregrinus aut hospes, non cogitat quid in domo sit aliena. Sic & nos quantum possumus, dño largiente, ista omni

Hebr. 13.  
Philip. 3.